

§.10. II. *Famosus Libellus*, vulgo *Pasquillus*, est injuria scripto aut alio singulari modo facta. e.g. picturâ, carmine non scripto, &c. non refert an tecto an expresso nomine fiat, etiam si crimen verum objiciatur, nisi absit animus dolosus, v.g. ut magistratus crimen sciat, &c.

§.11. *Delinquit*, tum *componens*, dolo malo, tum quovis modo *procumans*, *evulgans*, &c.
Hinc tenetur Typographus talem libellum excudens.

§.12. *Pœna:*

Tenetur vel *actione injuriarum*
vel ex *SCto*, *publico judicio*.

Hinc damnatus fit *intestabilis*.

Jure Can. *Fustigatio* & *interd.* *Excommunicatio* & *Depositio*.

Constit. Carolina autor eâ pœnâ afficitur, quæ aliâs objecto crimini statuta.

Quod etiam obtinet *Jure Sax.*

§.13. *Arbitrariè punitur*

1. divulgator, qui inventum non lacerat, sed propalat.
2. qui nomen expressit,
3. verum crimen objiciens,
4. si circumstantiæ ita suadeant.

Imò hodie plerumque mitius proceditur.

§.14. *Lasus* tali libello, opinionem suam salvam habet.

Indicans Autorem præmium ex arbitrio judicis habet.

It. *deferens* apud magistratum criminis verè reum.

It. *proditorem patriæ* capiens, interficiens.

It. reum falsæ monetæ accusans.